

25

XVII.

PANEGYRIS

CELEBERRI-

MÆ ET VETVSTISSI-

MÆ VRBIS MARTISBURGÆ,


In qua eius fundatio, pristinusq; ac
præsens status, præter alia notatu
digna, breuiter enarratur;

CARMINE HEROICO

conscripta

à

Francisco Lehmanno Heniochano.



LIPSIÆ,

IMPRIMEBAT MICHAEL
LANTZENBERGER.

Anno

M. D. XCV.

22.



A. C.

ILLVSTRISSIMO,
GENEROSISSIMOQVE PRIN-
CIPi AC DOMINO, DOMINO IOHANNI
G E O R G I O , Duci Saxonæ, Postulato Episcopa-
tus Martisburgensis Administratori, Landgrauio Thu-
ringiæ, Marchioni Misniæ, &c. Domino
suo clementissimo:

MAGNIFICIS, NOBILIS-
SIMIS, CONSVLTISSIMISQVE VIRIS,
DOMINO PRÆSIDI, CANCELARIO,
ac reliquis Dominis Consiliarijs Episco-
patus Martisburgensis, &c.

REVERENDIS, ERVDITIONE,
SAPIENTIA, DIGNITATE, MVLTIPLI-
CIQVE RERVM PERITIA ORNATISSI-
mis proceribus, Domino Præposito, Decano,
Seniori, ac toti Capitulo Mar-
tisburgensi, &c.

N E C N O N

AMPLISSIMO, PRVDENTIS-
SIMOQVE VRBIS SENATVI, PATRO-
nis, Meccenatibus, ac fautoribus suis colendis

Debitæ subiectionis, obseruantix, testifican-
dæq; gratitudinis ergò hanc Panegy-
rin dedicat & offert

Franciscus Lhemannus Heniochanus.

VERSIBVS institutam laudes augusta referre
Martisburga tuas, titulis & honoribus amplis
Præ reliquis quantum valeas, incommoda quanta
Vulcano sexta vice deuastata nefando,
Diluuiumq; lacus, tuleris, perpeffa profundi:
Quoq; magistratu quondam, nostroq; regaris
Tempore, narrabo, breuibusq; ab origine ducam.

Magne parens rerum, qui numine sidera flectis
Aurea, qui cœlum torques, qui cuncta creasti,
Rex hominum, verbo spirante, tuisq; rogatus
Auxilio præsto es, placido me respice vultu:
Me famulum dignare manu fulcire benigna:
Versibus adde decus, validasq; in carmina vires
Suffice. TVq; etiam IOVAE certissima proles
CHRISTE panomphæi, patrij splendoris imago.
Astrigeri celso veniens qui climate cœli,
Cuncta DEO similis, moribundos corporis artus
Sumsisti, & nostram propter mactata salutem
Hostia, terribili placasti morte parentem.
Te tua supplicibus flecto per vulnera verbis,
Dexter ades, calamum stridentis dirige lingua,
Daq; simul motumq; animo rebusq; vigorem,
Vt tibi grata canam totiq; salubria vita.
Tu quoq; sancta veni diuini numinis aura,
Grate patris natiq; vigor: tu carminis huius
Siste pedes certis, ne me vestigia fallant,
Gressibus: absq; tuo nihil est sapientia nostra
Numine, nec quicquam sine te mens inchoat altum.
Vosq; adeo, proceres magni, pietate potentes,
Nobilitate graues, virtute fideq; probati,
Qui præclara loci geritis moderamina: cœptis
Aspirate meis, linguaq; animoq; fauete.

Deniq; vos etiam (vestri referuntur honores)
Indigenæ, placidas cantanti aduertite mentes.

F L O R I D A Saxonica regio sub finibus ora
Conspicienda patet, mediam perlabitur amnis
Conspicuis Sala, conterminaq; irrigat arua.
Hic veteres olim sedes habuere Sueui,
Effera gens, assueta armis, gens aspera bello,
Quæ sine rege regens, sine lege, sine ordine sparsa,
Viuebat raptu, rem vi, non iure parabat,
Europaq; sibi partem subiecerat amplam.
Miserat Augustus, domiti caput orbis, eodem
Tempore magnanimum multo cum milite Drusum,
Fædis fragasq; vrbes abolere ac mœnia summis
Sedibus eruere, & campo exæquare patenti
Iusserat, & ferro populos superare superbos.
Ille, leo tanquam, magnas mouet undiq; strages,
Gentesq; innumeras felici sidere vincit.
Vrbibus oppressis vltra quoq; flumina Rheni
Transuolat, & belli vehementes suscitât ignes,
Arma infert Sueuis, pharetrato milite tota
Rura replet, primus turbas inuadit agrestes,
Extinguitq; casas, operas prosternit aratri,
Horrendis passim flammis sata dulcia perdit.
Progreditur, portas superat, turresq; præaltas,
Summaq; conuellit tectorum culmina, muros
Obsidione premit, delubraq; vana deorum
Deiicit, atq; rapax triujs manus omnibus instant,
Sponte sua nisi colla iugo submittere vellent,
Vltima promittunt cunctis discrimina lethi.
Fama volat, magnaq; replet formidine Sueuos,
Ausonios Rhenum modò transcendisse feroci
Instructos acie, totisq; incedere campis,

Interi-

Interitumq; loco funestaq; bella parare.
 Extemplo tentant latis circumdare fossis
 Mœnia, pars firmant aditus, turresq; capeffunt,
 Saxa sudesq; vehunt alij: tormenta videntur
 Mœnibus: at iuuenes multum indignantia spargunt
 Murmura, concipiunt violentos corde furores,
 Arma fremunt contra patria exemplaria laudis
 Succurrunt animo. Sic virtus pectoris aulâ
 Non facile eijcitur præclara, tenacius hæret
 Irritata malis, membrisq; subinde moratur.
 Tristia certatim sese exhortantur in arma,
 Hostibus opponunt turmas, peditumq; phalanges
 Conscribunt, illosq; audent propellere primo
 Limine, constituunt aciem furibundaq; ponunt
 Castra, caput galea, rigido latus ense recingunt,
 Expectantq; hostem, pulcrum succurrit in armis
 Pro grege, pro patria, per vulnera reddere vitam.
 Non secus ac si forte rapax inuadere stultum
 Tentat ouile lupo: fidi sensere molossi
 Conueniuntq; statim prædatoremq; repellunt.
 Interea campis exercitus omnis apertis
 Incedebat ouans, iuuenes, turmaq; virorum
 Flosq; ferebantur ducum equis, iam iamq; daturi
 Millia utring; neci: sonitus procul ære canoro
 Edebat belli signum tuba: Claudius hostes
 Fortiter aggreditur, multa vitristia tentat
 Prælia, dimittit Sueuorum plurima morti
 Corpora, vulnifico furit ense, miserrima cades
 Exoritur, magnus ferit aurea sidera clamor.
 Telorum effundunt contra genus omne Sueui
 Campoq; aduersi apparent, testudine facta
 Concurrunt, certatim arcus longeq; reductis

Protendunt hastas manibus, fulgentia duris
Fulgura desiliunt clypeis, in vertice crista
Sanguinea trepidant, gladij crebraq; ruina
Dant sonitum ingentem, magno clamore frementes
Instigantur equi, volitant hinc inde per auras
Spicula niuis ritu, nebulisq; obtexitur aether.
Maximus in caelis ausus miratur inanes
Iuppiter, & tantos mortalibus esse furores.
Saeuus & ipse etiam iam mutua vulnera Mauors
Parte utraq; dabat, nulli fuga cognita, vires
Quisq; exercebat: Ceu si discordibus aequi
Concurrunt animis venti, funestaq; miscent
Prælia, labuntur turres atq; ardua syluæ
Robora: Ceu bina picea caligine nubes
Terribilem tectæ vultum, seuq; tuendo
Occurrere sibi, tempestatemq; tremendam
Imbribus agglomerant lectis, sine more furentes
Luçantur, commixta volant hinc inde per auras
Fulgura fulminibus, metuunt quoq; sidera casum.
Distrahitur nubes, crebro polus igne refulget
Discolor, & longi labor irritus interit anni.
Certatim sic summo illi certamine pugnant,
Implicuere manus manibus, subducere pugna
Sese audet nemo: fortissima pectora firmat
Laudis amor, subdit stimulos ac vulnera sanat.
Palma volat dubijs alis, obnixaq; contra
Omnia stant, toruus vacua modo Sueuus arena
Turpe gemit, modo Romanus tristi occidit ictu.
Ausonij tandem vix tanta clade stetissent
Turbati multorum animi, iam iamq; volebant
Credere terga fuga, Sueuisq; relinquere honorem.
Claudius ast illos verbis instigat amaris,

Quo rui-

Quo ruitis fratres? per vos vestrosq; penates,
Per ducis Augusti nomen, deuictaq; bella,
Quæ fortes quondam multa cum laude subistis,
Fidite ne pedibus, gladio ducenda per hostes
Est via, nos tandem victoria certa manebit,
Excelsò pugnate animo, miserescite fratrum:
Exoriare aliquis Romanis ossibus horum
Semianimos quos ante pedes hîc cernitis ultor.
Nunc adhibete viri, vires adhibete priores,
Nunc opus est: præstat lethum pro laude pacisci,
Quàm turpi dare terga fugæ: grauiora tulistis
Antè, ô magnanimi fratres: occasio certè
Nulla fugæ est: magno claudit nos obice Rhenus,
Posteritas tantum facinus, cecidisse Sueuis
Subq; pede illorum collum tenuisse Quirites
Audiet? ô socij: Nobis animaq; manusq;
Sunt totidem, quot eis: pugnate, occidite, fortes
Exercete manus: hoc laudem acquirite bello.
Dixerat: erubuère velut sermone Quirites,
Incenditq; pudor vires ac pristina virtus,
Maiores crescunt furiosis mentibus ira.
Quilibet extemplo redit ad certamina, telis
Sternitur omne solum, volitantq; hastilia circum
In pluuia ingentis morem, spes addita mentem
Excitat, aduersisq; sonos conflictibus alta
Dant galeæ, parmæq; tremunt: pugna aspera surgit.
Horrendis resonat clamoribus aura cadentum,
Hic capite ablato, naso ruit alter adempto,
Ille manus luget lasas, armisq; virisq;
Permixti voluuntur equi, miserabile visu.
Ipse suis medius densos prorumpit in hostes
Claudius exemplo, Virtus quid feruida possit

Experiamur,

Experiamur, ait, subitoq; sit obuius ipsi
Conspiciendus equo, phalerisq; iubaq; nitenti
Signifer, hunc cernens, tanquam leo feruidus, hasta
Inuadit, telumq; parat, mittitq; per auras.
Inclinat telum grauius, fortisq; sub aure
Heret equi: Sonipes tali furit arduus ictu,
Alternis iacetat vicibus caput, altaq; crura
Vulneris impatiens sublato pectore tollit.
Decidit excussus, fatis mediantibus, ense
Signifer in proprium, nigrumq; dat ore cruorem,
Mandit humum, moriensq; suo se in sanguine voluit.
Arripit extemplo Drusus vexilla cadentis
Principium palma: tali obstupere Sueui
Spectaculo, cunctis animus cadit, ipse IEHOVA
Magnanimis mentemq; dedit viresq; Latinis,
Immisitq; fugam Sueuis celeremq; timorem.
Extemplo turbata acies versiq; Sueui
Abijciunt gladios, & equos ad mania cogunt.
Insequitur Romana cohors, sternitq; necatq;
Illa multa die Sueuorum corpora lethum
Accipit: haud potuit cunctos comprehendere centum
Mille Charon, qui tunc venere ad littora, cymbis.
Quotquot adhuc reliqui fuerant, excedere regnis
Si vitam seruare velint, coguntur auitis:
Claudius imperio subscribit regna Latino.
Iamq; insperata demum regione potiti
Ausonij, rigido Marti lustrantur, & aras
Accendant votis, oleoq; fluente palastras
Exercent patrias, ludos pro more celebrant,
Interea (poscebat n. terra altera bellum)
Venit ab Augusto referens mandata Neroni
Nuncius, ut iuuenes lectos fortissima corda

Ferret

Ferret in Italiam, quotquot de clade supersint,
Inualidosq; senes, qui plura pericla timerent,
Quosq; via pertaesum esset magniq; laboris
Deligeret, victisq; daret noua mœnia terris.

Vicus erat priscus, gelidis conterminus undis,
Vicus inornata facie, magalia vili
Cespite structa iacent, muscusq; ac stramina paruis
Summus erant tectis splendor, fuligine postes
Horrebant atra: GYSILAM dixere minores.
Inter Hamadryadas malè prudens incola nymphas
Ludebat tenuis tenui sub tegmine fagi,
Naiades, Faunosq; leues ac Pana colebat.
Mille voluptatis species versantibus illis
Prebebat natura loci, tum fontibus alti
Permixti montes, tum grata frequentia ligni,
Lucorumq; iacet rigidis firmissima muris
Arx vetus, hanc, nam magna cohors confugerat illic,
Claudius expugnat. Post delectatus amœno
Ipse solo, populum tormento protinus omnem
Conuocat ad Gysilam: hinc Augusti iussa suamq;
Exponit mentem, quæ nunc sententia constet.
Nec mora, nec requies, urbem designat aratro,
Sortiturq; domos, matres populumq; volentem
Transcribit patresq; amplæ nil laudis egenos.
Dehinc fora constituit, leges dat, iuraq; condit.
Saxa alij plaustris, lateq; ingentia syluæ
Robora subuectant, prima & fundamina ponunt.
Vrbs noua stat seui Martis de nomine dicta.
Tum quoq; vicini lasciua in vertice montis
Fundatur Veneri sedes, rigidoq; dicatur
Graduo densa prænubilus arbore lucus,
Iamq; decem gens tota dies epulata, Deoq;

B

Factus

Factus honos, abiturumq; exercitus apparat omnis,
Arma Nero, currus & cætera fracta nouari
Imperat: Exoritur magnus matrumq; senumq;
Clamor, & amplexu retinet noctemq; diemq;
Quisq; suos, Latios gaudentq; reuisere campos.
Iam quibus est belli rabies, quibus aspera quondam
Visa via facies, & non tolerabile fatum:
Omnes ire volunt, omnem perferre laborem
Spontè, peregrina metuunt tellure relinqui.
Tum bonus hos verbis Nero consolatur amicis,
Ut maneantq; orat: Pleno singultibus ore
Ipse valedixit: post ordine pergere turmas
Spumosisq; iubet stimulos adhibere caballis.
Ingrediuntur iter leti, falluntq; iocando
Tædia longa via, vici pagi q; recedunt.
Ventum erat ad veteris spectiosa palatia Romæ,
Claudius ingreditur portas, equitesq; sequuntur
Ordine, dantq; tubæ sonitus, sonat aura canoris
Plausibus: Augustus tota comitatus ab aula
Obuius apparet victori, atq; excipit ipsum,
Deniq; res gestas studiosè exponere mandat.
Ille feros animos Sueuorum ingentiaq; arma,
Et quanto sudore, refert, quantoq; periculo
Vicerit: inprimis, turbas ubi liquerat agras
Horrentesq; viam, terram commendat amœnam.
Mons, inquit, sublimis adest, qui plurimus undæ
Imminet, extructamq; aspectat desuper urbem,
Castello exultans pulsandis hostibus apto.
Quin etiam, Augusto si fas præscribere quicquam,
Consulo, ut hinc mittas aliquos, qui mœnia lapsa
Restituant, seruentq; angusti limitis oram.
Annuit Augustus, gemina cum præside turmæ

Mittun-

Mittuntur; quicquid seui inclementia belli
 Deprauarat atrox, studio vigilante rependunt,
 Exornantq; recens excelsis turribus urbem
 Extructam, simul & castelli mœnia iungunt.
 Ambitus vnus habet, campo iunguntur eodem,
 Fit pagus vetus en Romana colonia, fiunt
 Propugnacla plagæ magalia rustica victæ.
 Hic decus ô Marsburga tuum, nomenq; decorum
 Incipit, hic apparet honos, hic laudis origo.
 Sic igitur multos stetit, increuitq; per annos
 Vrbs noua, nec contrâ valere hostilia quicquam
 Agmina, turritis succinxit mœnibus illam
 Antonius, fossas alius muniminaq; alta
 Addidit, aggeribusq; accessus munijt omnes.
 Trina sibi interea ciues simulacra Deorum
 Effinxisse ferunt, hæc relligiosa collebat
 Gens ea: Zuttiberum, Veneremq;, ac numina Martis.
 Zuttibero syluas, ubi nunc letissima tempe,
 Fundarant, ædes Marti Veneriq; nitentes.
 Saxonibus tandem Carolus ludibria victis
 Frigida diuulsit, mentitaq; numina duum,
 Cunctaq; destruxit fuluo interclusa metallo
 Saxa, sacerdotes misit, temploq; micanti
 Extructo, populum iussit de nomine CHRISTI,
 Deq; Deo verò, summaq; salute doceri:
 Ipse etiam donis maioribus insuper auxit
 Indigenas; vrbs ipsa ferè præstantibus actis
 Egregioq; situ totum vulgata per orbem
 Tunc fuit, hic comites, reges, proceresq; videres
 Concilia hic habuere duces, certamina, ludi
 Hic celebrabantur Martis de nomine dicti.
 Deniq; maiestas etiam veneranda sacrati

Cæsaris haud metuit sedem hūc transferre, diuq̄
Sponte sua imperium structa seruauit in aula.
Felices muri sunt, terq̄ quaterq̄ beati,
Quos sibi totius sedem caput eligit orbis.
Ast aliud magis hic mirum multoq̄, tremendum
Occurrit, Marsburga vetus discrimina rerum
Tristia dum semper tolerauit, tanta quod inter
Bella caput potuit defendere fortiter altum.
Dij Iouis in tecto, proh quanta pericula, quantam
Ipsa tulit cladem, cum trux Scythia, mixta cruentis
Et populis tantum cedis sitientibus armis
Irrueret quondam, flammisq̄ inuaderet orbem.
Heu mihi quam miseris fuit expugnata per illos
Martisburga modis, turres ac mœnia celsa
Abstulit vna dies, adesq̄ dedere ruinas.
Credo equidem, nec falsa fides, euersa perisset
Hoc anno, & nomen mors obscurasset iniqua
Deniq̄, ni validos hostes ille inclutus Auceps
Vicisset, muros turresq̄, resarciit ille.
Quo merito cepit suffulta ascendere rursus
Laus Martisburgæ, paulo post tempore nerui
Creuerunt, Ottoq̄, ades ac mœnia Magnus
Diruta restituit, summoq̄, affecit honore.
Namq̄, vbi Teutonice gens immanissima terra
Hunnorum inferret bellum, legionibus octo
Occurrit Cæsar, vicitq̄, ac reppulit orbe.
Congressos referunt prima sub luce diei,
Pugnaq̄, finita est, nocturnæ vbi roscida Lunæ
Cornua splendere inciperent, victoria nulla
Gratior euenit, votisq̄, optatior vnquam,
Tunc quoq̄, seruitio Germania tota soluta est.
Hinc memori grates persoluens pectore Cæsar,

Ore

Ore preces fundit, validum proßernere taurum
 Imperat, & fieri communia vota IEHOVAE,
 Arrectaq; manu fundare sacraria spondet,
 Nomen ubi numenq; DEI laudesq; supremi
 Pro tanto auxilio longum celebrentur in auum.
 Protinus excelsam tendit Mauortis in urbem
 Compositis rebus, templum sublimibus altum
 Turribus edificat, quod adhuc attollit ad astra
 Summa caput, tibi, Laurenti, tibi, Iane, dicatur,
 Constituitq; viros sacri mysteria verbi
 Qui tractent, hymnisq; DEVM sine fine canoris
 Accelebrent, canoni se vita & moribus aquent.
 Deniq; Pontificem curam regionis habentem
 Deligit, ac templi moderamina tradit, & ornat
 Conspicuis ciues opibus, prouentibus urbem.
 Sic ita Marsburgum sedes fit Episcopi, & inter
 Finitimos colles cælo caput explicat alto.
 Imperij subijt commissas primus habenas
 BOSO, vir insignis, multa virtute fideq;
 Præditus, ad frugem multos vitæq; reduxit
 Ingenuæ cursum, vitiumq; ex urbe fugauit.
 Ne tamen hîc aliquem fallat sententia, cunctos
 Usq; fuisse bonos Parochos, & semper eundem
 Firmatis rebus statum viguisse futuro
 Tempore, quippe ferè facies noua quolibet anno
 Imperijq; urbisq; fuit, modò sceptrâ tenebat
 Vir bonitatis amans, modò succedebat auarus
 Atq; scatens vitijs: Tanta est mutatio rerum
 Cunctarum, atq; adeò mores ad tempora flectunt.
 Docto equidem multum valuit GYSILARIVS ore,
 Attramen ambitio, laudumq; immensa cupido
 Detinuit ductam multa ad præpostera mentem,

Diuitijs ciues spolians, urbemq; Salinis
Plurima damna dedit, regnum utilitate probabat.
GVILBERTVS studiosus erat pietatis, amator
Musarum eximius: cathedram conscendere sanctam
Ipsemet haud metuit, lucos ac fana Deorum
Friuola combussit, statuas ratione carentes.
DITMARSVS humani ingenij vitæq; probata
Plurima restituit bona, quæ Gysilarius olim
Perdiderat, Philyram, quæ tunc sine laude, leuiq;
Carice tecta fuit, pagus rudis, addidit urbi.
Doctus BRVNO fuit, de cuius origine certant
Historia, clauis multa grauitate gubernans
Magnam acquisiuit laudem, famamq; perennem.
Egregias templi turres cathedralis HVNOLDVS
Parte ab utraq; duas posuit, templiq; præalti,
Nomine quod Sixti gaudet, fundamina iecit.
Imperium gessit tres tantum ALBERICVS annos.
Dux fuit ECKLINVS clemens, vitamq; modestam
Transegit, verbumq; Dei moresq; pudicos
Insuper utilibus studijs excultus amauit.
Dignus erat vita, tamen hanc citò fata negarunt.
OFFO sequens mansuetus erat, propensus egenis,
Omnibus in rebus cautus, tutorq; piorum.
VVINTHERVS genus à præclaro stemmate ducens,
In Venerem pronus fuit, atq; libidine feda
Luxuriaq; leui plenus, fastuq; superbo.
Nulla ipsum tetigit Diuûm reuerentia, nulla
Hortamenta tulit, nugisq; ac crimine gaudens
Contempsit ciues, & asotus cætera vixit.
Moribus egregijs animum multisq; poliuit
VVERNERS studijs, mira grauitate tremendus,
Principibus charusq; suis, laudabilis heros:

Quem

Quem primum referunt Petro fundasse sacellum.
Invidia tandem fatisq̄, remotus iniquis
Sede fuit, scepro per fasq̄, nefasq̄, potitus
HIPPOLYTUS, tristem subito tulit inde repulsam,
Vernerus redijt: Sic sic iniuria semper
Deijcit autores, hoc nunquam fallit in vno.
Vir fuit ALBINUS morum splendore coruscans,
Omnibus aequalem se mansuetudine summa
Fecit, in officio tali nemo extitit vnquam
Iustior: ingenio prestans, pietate probatus,
Consilijsq̄, aequis cunctis sua debita soluit.
Legitima verò sine conditione GERARDUS
Claves imperij naetus, mox inde migravit
Correptus morbo miserando è carcere vite.
Nobilis ARNOLDUS fuit egregiaq̄, statura,
Mente potens ac vera viri sapientis imago.
Ciuibus inprimis gratus, ingulatus ab illis
Interijt, iuncti fuerant qui sanguine, mortem
Indignam fleuit totum PEGA tota per annum.
At qualem deinceps vitam MENIGOTHUS, & alter
Duxerit ECKLINUS, quòue orti stemmate, Musa
Nil mihi scire dedit, neq̄, fas est omnia scire.
Querfurdensis erat comes, ingenuiq̄, pudoris,
Ingenuiq̄, animi, numerosa prae datus arte,
REINHARDUS, probus, ac turrita columna suorum,
Integer & vultu grauis. Hoc moriente IOANNES
Succedens, paucos sedit feliciter annos.
Dux Seheburgensis fuit EVERHARDUS, abundè
Peruigil in rebus, studijs melioribus auctus,
E tenui villa, quam dixerat incola VVerdrum
Constituit vicum, cumq̄, urbis mœnibus ipsum
Iunxit, iura fori Caesar dedit ipse recentis.

Opti-

Optimus expleuit vitam THEODRICVS honestam,
Ciuibus acceptus, spurcæq; libidinis osor,
Munificus, nil prauè vnquam, nil turpiter egit.
Egregias animi dotes ECKHARDVS, equestri
Stirpe gerens titulum, curamq; subinde fidelem
Templi habuit, doctas inter laus maxima Musas.
Plurima fecit ei delectamenta vetustas
Vrbis, ab antiquis tanquam quæ duceret ortum
Ausonijs, fluxi quæcunq; iniuria fortè
Temporis abstulerat, statui dedit ipse priori.
Imperij sceptrum tenuit duo lustra RVDOLPHVS,
Inq; nouo vico, præter bona cætera, vite
Omnia, fundauit templum, Thomæq; sacrauit.
At bonus HEINRICVS magnam virtutibus artem
Egregijs æquans, fama super æthera notus,
Nobilibus, senio grauis, à Contonibus, agro,
Captus, & horrendis vinclis pressusq; catena,
Deposuit tandem lacrymosæ tedia vitæ.
ALBERTVS q; statim regno est ac morte secutus.
Cuncta probè gessit FRIDERICVS, reddidit vrbi
Iudicia & leges, iusto oblectatus & æquo.
Increuit totis iterum Marsburga medullis.
Imperij HEINRICVS quin frena acceperit, ictus
Inuidia valuere parum, primusq; receptus
Castelli posuit fundamina prima Lucensis,
Zuvenckauiamq; nouis accinxit mœnibus arcem.
Alter in illius successit postmodo sedem
Nomine par, impar animo: puerilibus actis
Accepit Pueri titulum, dedit omnia fauci
Improbus, abducto vacuans æraria censu.
Vendidit affixis regni bona prodigus hastis,
Æra aliena struens, & ineuitabile damnum.

Magnani-

Magnanimus G E V E H A R D V S erat, fortissimus he-
Iuræ subiectos promptus dextræ tueri: (ros,
Imperio est, quamuis oculos natura negaret
Ægra seni, vitæ laudabile nomen adeptus.
Primus hic ingentem muris insurgere cladem
Vidit, & in flammis positam resonantibus urbem.
Sceptra S I G I S M U N D V S minimè curavit, ab aula,
Luxuriam sectans, hinc inde profectus ad aulam
Principis alterius, nil dignum laude peregit.
Simplicis H E I N R I C V S fuit integritatis amator,
Arte tamen multa, multa bonitate celebris,
Egregias struxit villas, ciuesq; superbis
Diuitijs auxit, Scopam prior addidit urbi.
Saxo, bonusq; fuit princeps F R I D E R I C V S, & ara
Barbara diua tibi statuit monumenta, sub illis
Membra ipsius humo tandem commissa quiescunt.
Postea B V R C H A R D O procerum sententia regni
Demandavit onus, qui non firmatus in illo
Excessit fragili vita mundumq; reliquit.
Plurima damna Baro seuis acerrimus armis
Intulit H E I N R I C O, qui tandem victus ab illo
Occubuit, placida regnavit Episcopus aurâ:
Hic iterum perijt flammâ Marsburga coruscâ.
Hic mercatores, longa regione profecti
Ingenti damno, tristem fleuere ruinam.
Noluit H E I N R I C V S perferre diutius amplam
Imperij molem, Philyramq; profectus, ibidem
Iam vetulus vitæq; satur fallacis obiuit.
Tertia mox illis ubi vix excesserat urbi
Temporibus Martis rapuere incendia muros.
Omne voluptatis genus, omne libidinis O T T O
Vestigans, oculis buccisq; fluentibus ore

C

Magno

Magno exhalabat Bacchum, seu clarus Eo
Lucifer exiret, seu cælum proderet astra
Aurea, stertebat dapibus somnoq̄ sepultus.
Exemplar probitatis erat VV A L T H E R V S, & omni
Doctrina eximius retulit data pignora scepro,
Reddita libertas, precijq̄ superfuit ingens
Copia, post obitum redierunt urbis honores.
N I C O L E O S sapiens princeps, cautoq̄, sagace
Preditus ingenio, regioni multa creauit
Commoda, consilio seruans bona publica dextro.
Nobilis huic B O S O successit, quo praside templi
Vrbani species cura est renouata senatus.
Mulciber hic taceo, quantam commouerit ardens
Perniciem quarto, multa cum turribus ades,
Annalesq̄ sacri flamma hac periëre senatus.
Totus in hoc damno tandem releuando I O A N N E S
Optimus incubuit, nemoq̄ benignior vnquam
Exitit in ciues, maioreq̄ dignus honore.
Talia & eximia laudis praconia T H I L O
Abstulit, egregij vultus, spectabilis heros,
Vir fuit hic cui tota parem Germania nunquam
Repperit, ingenij magni, magnoq̄ coruscans
Munere doctrina magna, rerumq̄ peritus.
Imperij fasces optata pace regebat,
Impius ut nequam patre consule natus honesto
Illius horrendis succenderet horrea flammis.
Protinus exoritur mæstus per mœnia clamor
Per plateasq̄ omnes, sauit Vulcanus habenis,
Improbis immisis, incendia ponere vires
Indomitas nequeunt, fleuit chorus omnis olympo
Stellarum, & flauæ rubuerunt cornua Phæbes.
Iuppiter à summo deiecit lumina cælo,

laetu-

Iacturasq; dolens hominum magnosq; labores
Ipse timet, ne fortè ignem à surgentibus axis
Concipiat flammis, totusq; exardeat aether.
Quin etiam tempus reminiscitur esse futurum,
Quo cælum & terræ molem vice-sufferat ignis
Funestus parili, rutilum pede pulsat olympum,
Ventorum pluviaq; Deos pelagiq; parentem
Conuocat, & latis inducere ruribus imbrem
Præcipit (heu nimis ingratum) quo flamma quiescat.
Cognouit præcepta Iouis Neptunus, & ore
Obsequium spondet, meditatur pectore cladem.
Materies iræ nondum crudiq; dolores
Exciderant animo, latet ipsa mente repostum
Præsidium Martis, spretiq; iniuria Nerei.
Ilicet Aeolijs antris Aquilone fugato
Horrisonans Auster madidis producitur alis,
Nubibus obtegitur cælum nigrantibus, atræ
Impediunt lucem nebula, ruit arduus aether,
Ingentiq; sono labuntur in aëre nimbi
Grandine permixti, cælo caua nubila rumpunt.
Nuncia Iunonis diuerso sole colores
Mille gerens oritur, vimq; affert imbribus amplam,
Sternuntur segetes, duri labor interit anni.
Est lacus immensus Gothardi nomine notus,
Quem fieri elapsis curarat Episcopus annis,
Saxea latuagos tendens ad mœnia fluctus.
Conuocat hic amnes Neptunus, & ora relaxat
Fontibus, impletur furibundo flumine stagnum.
Vincit aquæ cumulus ripam, grauis impetus urget
Oppositum vallum, rabiosis cursibus vnda
Voluitur ad muros, pars pendula concidit ic̄tu
Ingenti, raptuq; vias patefecit aquarum.

Expatiat a fluunt per curuas longa plateas
 Flumina, & inuadunt aedes, pecudesq; virosq;
 Funestamq; cient per tristia mœnia cladem.
 Afflicta multo queis flamma benignior urbi
 Parserat, immitis rapit inclementia fluctus.
 Si qua remanserunt domuum penetrata tantis
 Indeiecta malis, tamen alta cacumen eorum
 Vnda supergreditur, tabulata sub aquore magno
 Summaq; cum summis velantur tecta fenestris,
 Iamq; fori & species caruit discrimine stagni:
 Omnia flumen erant, alius sedet assere lato,
 Occupat hic summum tecti, pars vasa foresq;
 Proq; rati mensas adhibent, altoq; tenentur
 Culmine, iam cymbis, ubi nuper cruribus, vsi:
 Nat canis inter oues, celeres velocia fallunt
 Crura capros, ingens vaccas rapit vnda suesq;
 Ablatq; solo pereunt in gurgite tauri.
 Quin homines tandem (ne quid fatale supersit)
 Vnda nouem fessus submergit in equore membris.
 Sic duplici affecit damno dum ferre salubre
 Debit auxilium Martusburgensia Nereus
 Mœnia: Dii tantas auertite postmodò clades.
 Interea multis adiuuit Episcopus urbem
 Thilo modis, aedes passim veteresq; ruinas
 Restituit formæ collapsaq; cuncta priori.
 Deposuit vitam Thilo: successit ADOLPHVS,
 Ascania princeps: quicquid natura staturæ
 Abstulerat, menti tribuit: pietatis abundans,
 Parcus erat pœna, nunquam cedentibus atrox
 Partibus infremuit, paci non intulit iram.
 Tranquilla, acceptus cunctis, largitor honorum.
 Magnorum fados urbe expellebat Apellas.

Virtutum

Virtutum omnigeno VINCENTIVS ordine fortis
 Auctus erat, Phœbi vel munere dignus, in omni
 Re cautus, cunctis naturam dotibus ipsum
 Instruxisse putes, araria plena reliquit.
 Mente SIGISMUNDVS placida præclarus, honestum
 Aula habuit specimen, voluit bene ciuibus; artes
 Tunc rediêre bonæ, tutum felicibus inde
 Est iter ingenijs passum, despectaq; dulces
 Colla leuauerunt illo moderante Camæna.
 Clauserat hic oculos fatali morte seniles,
 Vrbs rectorē vacat: verum hoc consistere pacto
 Posse diu imperium nulla ratione putatur,
 Protinus ensifero vidua decernitur vrbs
 Tutela AVGVSTO, donec doctissimus vno
 Consensu MICHAEL concredita scepra subiret,
 Lumen in imperio, facile at pietate supremus.
 Obscuris quanquam, molitore parente profectus,
 Ille locis ortum traheret, tamen altius astra
 Ingenij petijt præstantis acumine summa.
 Doctrinam eximiam sibi conciliarat, & vsum
 Insignem rerum studio vigilante, suaq;
 Principibus charus sceprum virtute gerebat,
 Exaltarat eum taliq; ornarat honore
 Sola, bonum verum, virtus: assuescite clara
 Virtuti iuuenes, virtus super aethera tollit
 Pauperies quos dura premit, quos sede recondit
 Obscura, decorat, funesta pericula virtus
 Temperat, & cælum scandit, tenet omnia virtus
 Sub ditione sua, nescit quoq; viuida casum.
 Assiduè Michaël multa cum laude modestum
 Edidit ingenium, recti studiosus & equi:
 Quanta viro bonitas fuerit, prudentia quanta

Iudicium imperiale refert, testisq; Vienna est.
Inuiti ciues hunc amisere peremtum
Morte, nec interea per plurima tempora quenquam
Inuenere parem, clauis cui tradere possint.
Donec ALEXANDER dux omni laude coruscans,
Principis Augusti soboles, ad sceptrum veniret,
Cui tamen imperium Parca inuidere maligna.
Augusti proceres curam accepere secundo.
Mortuus Augustus nato mandauit eandem
CHRISTIANO, & sceptrum placida cum pace reliquit.
Ille gubernaculum vix tres tendebat in annos,
Corripuit denuo Martisburgensia clades
Mœnia, dimidiumq; ferè pars occidit urbis.
Est via Gothardi priscum de nomine diui
Nomen habens, veteri quondam decorata sacello.
Maximus hic subito sero sub vespere rumor
Exoritur, magno concurritur undiq; cœtu
Per plateas, misceri incendia seua videntur.
Fit sonitus, varij pertentant mœnia luctus,
Conuocat è tectis campana sonusq; tubarum,
Vulcanusq; domos superat, velociter ingens
Pernicies urbis surgit, iam proximus igni
Aufertur paries, subitas dant tecta ruinas.
Non secus ac quondam longè bacchantibus Austris,
Si segeti torris matura immittitur ardens,
Agricola spes vana iacet, sternuntur arista.
Interea pars portat aquam, pars vestibus ades
Abscondit madidis, alij clamoribus urbem
Fœmineis implent, reliqui succurrere tanta
Vicinis dum clade volunt, fatalibus ades
Cum redière vident proprias lucescere flammis.
Parte lares alia matrum paruosq; nepotes

Dextra

Dextra trahit (timeo referens) concursus equorum
Horrorem accumulatur, nigra nox circumuolat umbra
Terribili, vehemensq; Notus dat pascua flammis.
Ingentes edunt pecudesq; canesq; boatus,
Et querule volucres cernuntur in aëre ferri.
Talis erat Troia facies cum Pergama Græcus
Expugnaret atrox: aëti formidine magna
Conclamant ciues, infusaq; flumina flammis
Haud delere valent, vdo sub robore viuens
Flamma vomit fumum, lentus vapor abstulit ades.
Damna quis illius noctis, quis fando ruinas
Explicet, aut tantos fingat sibi mente dolores?
Vrbs antiqua ruit (visu miserabile) summa
Creditur esse dies, & ineluctabile tempus.
Dij quibus imperium terra, qui numine cæli
Flectitis astrigeri molem, succurrite muris
Incensis, tandemq; bonam præbete salutem.

Pandite nunc lætum dulces Heliconæ sorores
Aoniæ fontis, carmen dictate canorum:
Quæq; mihi à primo retulistis digna notatu
Principio, præsens quæ, nunc quoq; forma sit urbis
Dicite: Magnatum studio post fata parentis
Imperij expectat moderamina clara vocatus
IANVS & emeruit regnare GEORGIVS olim:
Paruus adhuc equidem puer est, vernaq; iuuenta,
Attamen ingenio magno, magna indole præstans.
Os humerosq; DEO similis, namq; ipsa decoram
Cæsariem capiti Iuno lumeng; iuuenta
Conspicuum, & magnos oculis afflauit honores.
Aspice, quisquis ades, diuini signa decoris,
Flagrantem vultum, malasq; rubore nitentes

Martisburga tuo gaude clarissima fato,
Accipe leta, hilaripuerumq; amplectere dextra.
Hoc duce, confirmata virum si fecerit atas
Incipient rursus magni procedere menses,
Cessabitq; metus, Saturnia secla redibunt:
Ipse Deum vitam diuis permistus habebit.
En video ad vocem latari mœnia, turres
Exultare omnes, & culmina summa moueri.
Iam iam conspicuis iam iam renouata videtur
Turribus, ad summum fastigia splendida calum
Porrigit, imperij priscum caput, aurea sedes
Martisburga ducum, numeroq; ac robore gentis
Nota fit: excelso subducta palatia celo
Templaq; clara decus cumulant, laudatq; virtus
Fecit opes, constansq; probi solertia ciuis.
Non mare terrificum scopuliq; immane tuendo
Desuper vrget onus minitans incommoda muris:
Emicat vrbs plano campo, florentis ocellus
Saxonia, frons læta illi, gens nescia fraudis.
Parte alia viridans pratum delectat euntem,
Parte ferax alia est tellus & grata ferarum
Pascua, odoratum nemus hinc & frigida tempe.
Sala hinc que mittit pisces, hinc vinea culta,
Hinc horti atq; omnes gelidi, gratiq; molarum
Hinc strepitus, hilarisq; fauet clementia cali:
Area lata illic multum spatiantibus apta.
Rure solent lepores ludendo fallere tempus,
Et belli simulacra cient, res grata videndo.
Terra viatori iucundum præbet odorem
Frugifer, & multo precibus votisq; coloni
Fœnore respondet, commissaq; semina reddit,
Ignoratq; modum, terras ea copia frugum

Finiti-

Finitimas nutrit, grata est quoque Lipsidos urbi
Proximitas Martis, donum desiderat illud.
Martisburgam abeat quisquis saxiferae nitroae
Indiget, aut animi reliqua oblectamina quaerit,
Inueniet: scandat turrem, prospectus amoenus
Offeret, & summæ cunctis ex partibus arces
Nobilium heroum cernentis lumina pascent.
Progredere ulterius, tandemque videbis in ipsa
Urbe sacerdotes claros iurisque magistros,
Magnificos proceres, genus alto à sanguine diuum,
Nobilitate graues, omni virtute repletos,
Sacra quibus commissa viris moderamina sunt.
Notus adest multis magnus KOSTIZIVS, oris,
Praepositus, vir laude potens, qui praesidis amplum
Nomen habet, grauior pietate, animique benigni
Urbs ipsum infidis non praebuit amplius aulis,
Maluit esse suum, summam retinere vocatus
Imperij sedem meruit, nec dignius unquam
Quam per eum meminit se Martisburga locutam.
Culmen utrumque tenet tota regione, vehendus
Laudibus ad caelum patrio praeclarus in ostro.
ROTZCHSCIVS incedit multa grauitate Decanus
Eximius, qui sacra sacri penetralia montis
Iugiter inuisit Phaebo Musisque dicatus.
Hinc magna subière artes, hinc gratia linguae,
Desinit hinc ipsum nunquam Romana vetustas
Diligere, hinc quicquid quondam manauit ab ore
Socratico callet, nullasque heroica virtus
Proposuit metas, fama clarescere coepit.
POSTERVS, senior, sese probitatis amore
Non priuari etate sinit, sapientior annis
Redditus est, multum praepollet acumine mentis,

D

Consi-

Consilioq̄ valet, variarum cognitus usu
Assiduo rerum, Numburga excelsa Decanum,
Zizaq̄ prepositum submissa voce salutat.
MORCHIVS oraclum Iuris, Doctorq̄ fidelis
Iusticiæ est, ac per varias caput extulit artes.
Plus habet hic laudis, quàm qui fuit antè locatus
Officio hoc unquam, dulci celeberrima vidit
Historia spatiatu agro, miracula callet
Omnia natura, scit rerum reddere causas,
Maximus hinc ipsi cumulus debetur honorum.
Heu mihi tanta viris instare incommoda iustis,
Nilq̄ necis contra, doctrinam, spicula, valere.
Hac ego dum scribo (dolet ab memorare) nefandus
Nuncius it, fatoḡ refert emissus iniquo:
Quid facis infelix? lato quem carmine laudas,
Morchiu occubuit letho, nota certa querentes
Tristia campana: tornatos corrige versus,
Nenia mœsta sona, terris iam membra tegentur.
Exiui, vidi, perij: proh Iuppiter alme,
Proh mare, proh cœlum, proh terra & fata maligna!
At quia sic visum superis est, commoda tanto
Inuideat sua nemo viro placidamq̄ quietem.
Subsequitur Charitum dono CARLVIZIVS omni
Splendidus, ingenio magnus, grauis indole, verè
Nobilis: haud metuit præstans heroibus ipsum
Insinuare suis Magaburga, viroq̄ salubris
Sors data: sunt decori mores, mens pulcrior ornat.
Cum reliquis etiam pietate & moribus æquis,
Doctrinaq̄ pari, Musarum & certat amore,
BOSE, vir eloquio præstans vel Nestore maior,
Asperitate caret morum, placidoq̄ benignum
Fert animum vultu, generis splendore coruscans,

Hunc

Hunc ciuem geminus sibi vendicat axis euntem.
Palladis à teneris benè GLEISSENT HALIVS an-
Nobilis arma tulit, Sophia certissima proles, (nis
Sustinuit prima multos atate labores.
Namq; ubi firmarat recto vestigia passu,
Desidias molles, atque ocia marcida luxu
Non permisit ei genitor, somnosúe diurnos,
Sed tenera teneras exercuit indole vires:
Ipse parens Martis constanter signa secutus
Addidit hos soboli stimulos, ea semina laudum,
In castris etiam constantem suavit amore
Præstare Aonijs: Fecit clarissimus ille
Vir præcepta patris, mentem dimisit in artes,
Castaliq; hausit pleno sacra flumina fontis
Ore, dies noctesq; simul sudavit in agris
Thespiadum, voluens doctorum scripta virorum.
Deniq; & externas exemplis grandibus usus
Se tulit in terras, homines visurus & vrbes,
Et varios mores, spatiosa Bohemia quicquid,
Orbis quicquid habet Latius memorabile vidit,
Scit quoque linguarum formas: Sic maxima laus est
Non semper latuisse domi, sed linquere grata
Tecta aliquando patris, nimum securus honoris,
Et piger est qui nil præter sua mœnia nouit.
Inde peregrinis ubi Gleissenthalius oris
Incolumis redijt, claris virtutibus omni
Conatu studuit: præferre haud autumat ortum
Virtuti: (virtute decet non stemmate niti.)
Doctus apud notos sibi conciliauit honoris
Immensi titulum, sedet inter gloria claros
Clara viros, sceptrum re consilioq; gubernans.
Huius inexhausta bonitatis flumina noui,

Inq̄ homines animus sit ei quam promptus egenos,
 Testis ero locuples dum Spiritus osibus haret.
 Me me, adsum, quem dira modis vrgebat iniquis
 Pauperies, seuo & scopulo impediēbat euntem,
 Sistere vix cœpto poteram, me quinq̄ per annos
 Aede sua haud domini, fidi sed more parentis
 Sustinuit, iam certa meis manet anchora Musis,
 O decus æthereum, terrarum gloria salue,
 Dijq̄ tibi collata mihi benefacta rependant.
 Nomine doctrina claret **NORDHVSIVS** omni,
 Nilq̄ sibi reliquum patria virtute relinquit.
 Singula dona viro illustri quæcunq̄ videntur
 Nobilitare queunt, si fas promittere quicquam,
 Lumen erit patriæ, tantos intelligo motus.
 Huic similem sese multa virtute probavit
 Eximio ducens ortum de sanguine **MILTIZ**,
 Magnanimum pectus, vigilans qui tempora vitæ
 Artibus in Clarijs posuit: genus eminet ipsum,
 Clarior ingenij est præstantia, clarus oris
 Eloquium, callet linguam veteremq̄ nouamq̄
 Ausoniam, & celso tulit ex Helicone triumphum.
 Insigni splendet fama **BADENOVVS** in aulâ
 Saxonica, iuris Doctor, celeberrimus vnus
 Astrææ interpres, fandi dexterrimus ore,
 Summus honor patriæ: sperantur prospera campis
 Tempora Lipsiacis illo viuente, Camenas
 Hic amat, atq̄ animo Sophiam constante retractat.
 Nobilis ac multa præstans **HAVGVIZIVS** arte est
 Notus in externis, patrijs quoq̄ cognitus oris,
 Si faciem videas, quæ vox, qui gressus eunti,
 Dixeris esse Deum, tanta excellentia formæ,
 Diuinam seruat diuina modestia linguam,

Lumi-

Lumina temperies, mentem respectus honesti.
Inunc & pergrata tuo fer gaudia patri.
Sacra DEI quondam pandebat in vrbe ROTHERVS
Dogmata precipuum lumen regionibus illis,
Huncq; sibi Doct̃or pietate pararat honorem
Artibus ornatus varijs: iam sede remotus
Spe sua damna leuat, committit cetera Ioua.
Deniq; & eximium procerum sedet ordine nomen,
KOTZSCHIVS, arte grauis, patria fax splēdida terra,
Munificus, vultu facilis, certissima mores
Symbola nobilitatus habent, mentemq; benignam
Arguit incessus, vero & candore stupendam.
VVIRTHIVS hinc sequitur, namq; hunc solertia Iuris
Maxima commendat, doct̃oreq; digna ministrans,
Fluminibusq; potens lingua se munere tali
Exhibuit dignum, studium Coburga fidele
Illius eloquitur, quantum valet arte, Cathedra
Lipsenses referunt, hic legum anigmata soluens
Auxilium miseris operamq; clientibus affert.
Hi Marsburga viri tibi prestantissima laus sunt,
Hos reuerenter ama: cælum miratur euntes
Ordine, misceriq; choro sol gaudet eorum,
Ite animi illustres, vobis illustria dantur
Præmia, quæ quondam magno sudore parastis.
Sed neq; vos taceo, clarissima lumina mundi,
Te, qui totius curam geris vrbis, & amplum
BOSE tenes nomen, tibi mens fuit ardua semper
At teneris annis, animoq; effulsit in ipso
Fortuna maioris honos, tu splendida gentis
Fama tuæ Martem pariter Musasq; colebas.
Iam causas audis benè Consiliarius inter
Magnates reliquos resides, responsaq; reddis.

D 3.

Te Cau-

Te Cancellarij grandi IO ACHIME recenter
Ornatum officio, quæ vis tibi, quanta facultas
Ingenij linguaq; modus, quæ gloria, scimus.
Non te Sirenes flexere aut noxia Circes
Pocula, nec somnus fallaci intexuit hamo,
Aucta tuis hinc est virtutum fama medullis.
At quid & eximios referam summaq; celebres
Relligione viros, verbi qui semina spargunt
Diuini, summiq; docent præcepta Monarchæ?
VOCIVS in primis claræ dulcedine vocis
Auditur magni defendere scripta Lutheri,
Quiq; sit ad cæli portas ostendere trames.
Adde scholam celebrem munitam sumptibus amplis,
Quæq; stipem miseris præbet: Clarissimus illic
Virq; potens studijs, puri sermonis amator,
Mularumq; choro virtutum clarus HEROLDVS
Sceptra suprema tenet: Nulli pietate secundus
KESSELIVS, cui Graia loqui Polyhymnia secum
Attribuit, dulci satiarunt nectare Muse,
Sedulus hunc, vitæ placideq; incommoda vincens,
Adiuuat, ambiguum est ætate maior an arte.
Templa CARES decorat, celeberrimus arte canendi,
Obloquiturq; octo numeris discrimina vocum.
Cætera sic operam ludo dat turba fidelem.
His ego, quæ possum, quantumq; parentibus ipsis,
Me debere viris, nunquam pudet ore fateri,
Dij quodcumq; mihi meriti tribuere rependant.
Offeret alta domus, parua decorataq; turri
Deniq; conscripti hic patres sanctusq; senatus
Conuenit, agnoscit causas litesq; resoluit.
Pars fora iudicij firmant, legesq; salubres
Pars statuant vrbi, Augusto pars nomine gaudent

Consu-

Consulis : arte valet SCHAT O , valet arte KET HE-
Consilijs ambo similes , atatibus ambo (RVS

Ac virtute pares , magna grauitate tremendi.

Iudicio praestat , viuumq; exemplar honesti est

Optimus ille senex Chytropus cui nomina fecit.

KRETSCHOMARVS excelsum sublimi pulsat olym-

Nomine : KESNERVS virtutum lucida summis (pum

Ductus ad astra bonis rebus caput altius altum

Exerit humanis , moderans cum laude tribunal.

Inde senatores longo procedere claros

Agmine si video , dubius feror , vnde futura

Laudis origo fluat , nunc me sapientiae imago,

Nunc sacra me probitas rapit , & veneranda senectus.

Hinc etiam titulos quod si comprehendere versu

Conarer , linguae centum vix , oraq; centum

Sufficerent , alijs quod restat linquo canendum.

Respice praeterea reliquos magno ordine ciues

Patricio indutos vestitu , respice mores,

Gratia inest rebus cunctis , plebs atq; senatus

Sunt in amore pares , augeri mente videmus

Quotidie unanimi numerum , populumq; benignum

Terra sinu facili iam fortunata recepit.

Seruat honestatis caussa discrimina rerum

Quilibet , ad leges viuit pacemq; tuetur

Opratam , color & species laudabilis vrbi est,

Ingenijsq; locus datur , ingenuisq; Camænis.

Fæmineum verò dignis extollere sexum

Versibus , erubeo , cohibetq; modestia linguam.

Hoc scio , quisq; suos compellit in vrbe fideli

Diuinum ad cultum studio , neque languida dantur

Ocia , ni iubeat sacra concio fortè quiesci.

Sed fugit hora fugit , referunt iuga fessa iuueni,

Hesperus

*Hesperus exoritur, vigiles occludite portas.
Vrbs præclara vale, multos vrbs cresce per annos,
Perpetuum salue, tete compage solutam
Pax alat, & pietas hominum per secula seruet.
Esto diu hospitium Musis Christoq̄, receptus,
Ingenijs pateant campi, natusq̄, Iehouæ
Adsit amor, proprijs vigeas clarissima donis.
Crescite virtutes, animosq̄, floreat atas.*

F I N I S.



A 2490

ULB Halle
003 485 986


3




sb

kom







25

^{xvii.}
 PANEGYRIS
 CELEBERRI-
 MÆ ET VETVSTISSI-
 MÆ VRBIS MARTISBURGÆ,
 In qua eius fundatio, pristinusq; ac
 præfens status, præter alia notatu
 digna, breuiter enarratur;
 CARMINE HEROICO
 conscripta
 à
Francisco Lehmanno Heniochano.
 ✠ ✠
 LIPSIÆ,
 IMPRIMEBAT MICHAEL
 LANTZENBERGER.
 Anno
 M. D. XCV.

1822.

